

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 16 Martii 1719.

M. PHILIPPO FONTAINE, Doctore Medico, Præside.

An ex labore, Medici vita longior, felicior?

I.

ARS Medica ut cæteris Artibus omnibus præstantior, quia Medicum, quasi Dei ministrum, facit; sic & maximè necessaria, cùm homo totus sit à naturâ morbus. Ars istæc nobilis Imperatoribus ipsis imperat. Illam olim exercebant Principes, Reges quibus ut sua, sic & Populorum suorum salus atque vita cordi erat, seque Medicos profiteri minimè renuebant. Nunc quoque Reges nostri curant, ut & exercitibus & Urbibus suis dentur Medici studio, doctrinâ, arte suâ spectabiles: volunt ut dignitate, authoritate apud se valeant, atque quàm maximis præmiis afficiantur ii, quibus suam credunt sanitatem.

Longa & difficilis Ars Medica, nec nisi continuo atque indefesso labore acquiritur, exercetur; sed Medico non inutilis labor, labori par fortuna. Fortunati homines qui longævi super terram & felices esse possunt. Tales præ cæteris omnibus Medici, quorum laboris merces & tranquillitas animi, & corporis robur ex quibus longior atque felicior vita.

II.

TRANQUILLITAS animi quæ in hac vitâ comparari potest, non quæratur in otio quod ipsi labem infert, non in voluptatum fallacibus illecebris, sunt enim malorum seges, nec in eis ullus virtuti locus. Tranquillus animus virtutis amans est, nihil sibi conscius, non in litibus, non in turpibus aut intricatis negotiis tempus terit, non tenet ipsum divitiarum sitis inexhausta, hæ non tam honestati quàm improbitati serviunt, & instigant ad voluptatem. Medicus qui ætatis degendæ sibi genus honestum elegit; vult quidem laboris sui lætitiam, sed ante nummos virtutem ponit, & contentus parvo vivit. Cùm junior libris impallescit, nullo labori parcit ut famæ consulat, ut hominem noscat, & à quibus tum malè affici tum sanari possit; noscat intimum quod est, & necessarium animum inter atque corpus commercium, cumque videat hæc duo à sese mutuò pati; ne corpus suum ab animi pathematis patiatur aliquid, aut à corporis morbis animus afficiatur totus est: studet semper ut sui juris sit (quo nihil jucundius in vitâ) ut possit de omnibus benè mereri aliquando, omnibus prodesse, nemini nocere, quin & sibimetipsi (si res unquam exigat) mederi, quo utilius nihil. Si quæ fortè pathemata animum turbare voluerint, hæc moderatur statim & compescit, nec sinit se irâ efferri, ardescere; mœrore, invidiâ tabescere, consumi; amore languere, pereunt in illo arcus cupidinis, nam musis deditus, nec otiosus. Gaudet esse animo forti & tranquillo, quià optimum contra morbos, etiam maligniores, antidotum, & indè corpus ad functiones suas obeundas aptius robustius.

III.

VARIÆ sunt corporis nostri functiones, illarum nonnullæ intra corpus fiunt, terminantur & ob id internæ dicuntur, sic coctiones, filtrationes, secretiones: quædam ex-

ternæ, ut motus localis, & externi ſenſus. Nullæ ſine motu, & pendent omnes à partibus. Mirum quot partes quibus corpus noſtrum conſtituitur. Solidæ aliæ, aliæ fluidæ. Utræque æqualis neceſſitatis, & opem mutuam ſibi præſtant ad vitam. Solidarum elater à fluidarum itu, reditu, aut indeſinenti circuitu pendet & ſervatur. Fluidarum motus à ſolidarum elatere juvatur. Quæ effectuum iſtorum prior cauſa, inter ſe diſputant Medici: non aberrabunt qui fluidis primatum tribuent. Hæc in primâ formatione ſibi alveos cudunt. Punctum non ſalit in fœtu niſi à rubicundo ſanguine. Primus machinæ noſtræ formator ſpiritus qui ipſe flos eſt ſanguinis tenuiſſimus. Ut motu corpus noſtrum formatur, ac partes ſingulæ diſponuntur; ſic motu poſteà ad functiones ſuas aptius fit & robuſtius.

IV.

MEDICUS qui ſcit quanta ex labore corpori noſtro veniant commoda, ignaviam illud debilitare, laborem firmare, illam maturam ſenectutem, hunc longam adoleſcentiam reddere, exercitationem fidiſſimum eſſe ſanitatis cultorem; mulieres pleraſque, quia torpent otio, ſæpius morbis tentari; voluntariè ac paulò vehementiùs corpus ſuum exercere non reformidat (etiam in provectiori ætate). Labor enim cui quotidiè aſſueſcimus, & quem cum voluptate ac lætitiâ ſuſcipimus, nec immodicus, nec nocivus eſſe poteſt: immò iſto labore roborantur partium fibræ; ſanguineæ moli nitor conciliatur craſſioribus particulis quibus impedita ſæpiùs eſt attenuatis; incernicula corporis præter quæ trajiciendus eſt ille liquor reddit ampliora, patentiora, indè liberiùs permeat ſanguis, ſpiritus animales (qui revera exiſtunt) in cerebro faciliùs à reliquo ſanguine ſeparantur impetum facturi ad ſingulas partes, ut in ſingulis actionum ſint præcipuæ ac potentiſſimæ cauſæ.

V.

PRÆTER hæc quæ corpori eveniunt commoda aſſiduo & quotidiano labore ſeu motu, inſenſilis tranſpiratio longè uberior procuratur, propter quam excrementis immune corpus redditur. Miretur jam quiſquam? Medicum (etiam cui non meliori luto ſunt præcordia) ſeſe quotidiè, non quidem ad laſſitudinem exercere, movere, cùm videat Medicus longam &

felicem vitam obtinere posse homines qui impigri sunt ad laborem, nec replentur cibis. Omnis repletio mala, quia gravat corpus, & ad laborem ineptum reddit. Quærant Pharmacum immortalitatis fratres illorum qui lapidem Philosophicum quærunt ? Medici satis felices arte suâ, quâ discunt diù vivere & salubriter. Medici multi quidem nomine, reipsâ pauci; verè enim Medici sunt qui, cùm possent aliis prodesse, sibi non nocent; qui utuntur rebus non naturalibus omnibus, sed moderatè & convenienter ad suam temperiem atque naturam; quibus animus serenus, hilaris, à curis, pathematibus liber corpori non officit; quorum corpus labore ad obeundas functiones aptum fit quotidiè & robustum. Illi firmiori gaudent sanitate quæ vitæ condimentum est optimum, quâ nihil miseris mortalibus carius, & longævi super terram ac felices esse possunt homines.

Ergo ex labore, Medici vita longior, felicior.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-SIMON EMMEREZ, Parisinus, Baccal. Medicus. A. R. S. H. 1719. A sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.